



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Quomodò humanarum scientiarum magistri excitandi sunt. Cap. XXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Atque ad excitandam in illis sanctam quandam letitiam, declaranda sunt illa verba: O quam bonum, & quam iucundum est habitare fratres in vnum; eas veluti sorores vnum in locum esse coactas, vt earum vna sit voluntas, vna sit religio, vna sit charitas; omnia denique sint communia, & ita habitent in domo Domini omnibus diebus vite sue: eis licere, in choro Deum alloqui, et in terris degentes, caelestem vitam ducere: Monasteria, si in ipsis sit pax & concordia, esse instar Paradisi; sin discordia in eis disseminata sit, esse instar inferni: nullam esse nobilitatem, quae cum nobilitate sponsarum Christi possit conferri: nullam beatitudinem in hac vita reperiri, eius tantum imaginem in monasterijs apparere. Commemoranda etiam sunt commoda, quae sentiunt; incommoda, quibus carent, non distrahi varietate negotiorum, non perturbari domesticis calamitatibus; non victum quærere, non discordias coniugum, dolores parturientium, molestias filiorum perpeti: cum Deo, non cum improbis hominibus, vt in hoc seculo viuentibus accidit, sermonem habere.

Quomodò humanarum scientiarum magistri excitandi sunt.

Cap. XXXIII.

MAGISTROS humanarum scientiarum ac artium excitabit orator ad ea, quae ipsi didicerunt, alijs impertienda: communicanda esse diuina munera; tanto magis crescere artes & scientias, quanto magis communicantur: quam facillimè & breuissimè fieri possit,

fit, quam profitentur artem, eam doceant; & in primis operam dent, vt reliqua omnes artes veluti ancilla, seruiant omnium reginae Theologiae; nè, tanquam mercatores, doceant libentiùs diuites, quàm pauperes; neminem excludant; nobilissimum eleemosynae genus esse, docere: quo loco perterrefaciendi sunt rhetores seculi, nè incautos adolescentes erudiant ad decipiendum, ad excitandas seditiones, multo magis philosophi, nè de mundi aeternitate, de immortalitate animae, ex sententia Auerrois nimium multa, & nimis subtiliter doceant, quod impudentis hominis, ac etiam impij esse, quispiam posset suspicari: quod prohibuerunt sancta concilia, non audeant, ostentationis causa, ad perniciem ingeniorum profiteri. Iurisperitos autem, medicos, & qui in alijs nobilibus artibus versantur, excitet Ecclesiasticus orator, vt cū timore Dei, artem exerceant suam. Medicis incutiat timorem diuini iudicij, si, eorum negligētia, egroti sine sanctis sacramentis Ecclesiae, ex hac vita decedant. Iurisperitos ad horribile iudicium vocet, si eorum culpa, lis protracta, ortae inimicitia, viduae aut pupilli oppressi fuerint.

De moribus amicorum, & de varijs eorum generibus.

Cap. XXXIIII.

ACCEDAMVS ad tertiam distinctionem, quae erat, vt electione auditores distinguerentur: quidam enim dicuntur amici; quidam, et si inimici non sunt, quia se mutuo non nōrunt, & nulla coniunctione inter se iuncti sunt, eo non appellantur nomine. Amicos interdum dicat omnes Christianos, quia communia sunt caelum & terra,